



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Meditationes Rerum Divinarum In Psalmos  
Quindecim**

**Hillesheim, Ludwig**

**Coloniae, 1572**

**VD16 H 3683**

110 Confitebor tibi Domine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60352](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60352)

perarum ac coelestium rerum in terris,  
incolam fac aeterni domicilij tui, vbi ve-  
rata gloria contemplatione fruatur, &  
ab his gemitibus liber, in tuo conspectu  
inter beatas in celo mentes tibi in sempi-  
ternum dicam Halleluia.

*Meditationis in Psalmum  
CIII. finis.*

ARGUMENTVM PSAL-  
mi CX.

Ex magnis operibus Dei, eius iustitia  
& benignitas, & aeternum cum homine  
firmatum gratiae foedus elucet, vnde De-  
um timentium aeterna est beatitudo ac  
salus.

*Meditatio*

MEDITATIO IN PSAL-  
mum CX. iuxta He-  
braeos CXI.

**M**ENÉ ò Deus in hac humane condi-  
tiõis angustia, interq̃ huius mû-  
di fluctus & aestus, inclinantom  
in te altissimum, & humili mente subij-  
cientem me tibi, desertum & alienum à  
tua clementia vnquam fore? Ingens er-  
ror est in quo versor vita, eius actiones pra-  
uae, animus ex conscientia delicti eger  
& corruptus. Sed imbecilla & languens  
per se ratio, confirmatio spiritu tuo &  
gratia erit, vt nulla acerbitas dissipare in  
mente mea positam spem, & internè latã  
tem fiduciam possit. Tu enim adiuncta  
ad iustitiam misericordia, fidentem &  
deditum tibi, quanquam obnoxium de-  
lictõ, sed tamen eius grauitatem agnos-  
centem & abominantem, ab tua immen-  
sa bonitate auersum esse non sines. Vincet  
tuis

tuus amor, tuaque misericordia, ut omnis  
ad te mea salutis gloria redundet. Ergo  
in te vno firma ad sustentandum me fidu-  
cia erit, ut in tua clementia lumine inter  
vite vias difficiles ambulem in offensa, &  
astuante ad tuam, o vita mea conseruator  
& autor, clementiam animo ac spiritu,  
desideratam meam spem retinere possim.  
O iudicium misericordia abundans ac ple-  
num tuum, si iustitia seueritatem meri-  
tus, non solum culpa liberabor & poena,  
sed etiam diuinis ornabor bonis, eorumque  
participem me benignitas altissima faciet  
tua? Verum pro illa tanta misericordia  
tua, felicitate mea, quae digna cogitatio  
aut actio suscipi a me vnquam potest? Vi-  
tamne & sanguinem, & quicquid in ex-  
ternis meis rebus est, impendam? Sed hac  
omnia concessa acceptaque abs te sunt, ut  
repscere iure tuo possis, debeanturque vl-  
tro expetenti tibi. At tua voluntas ultra  
sensus cogitatusque nostros benigna ac-  
mitis, ad salutem omnes homines vocat,  
ut

vt omnia ad misericordiam agnoscendam  
& predicandam tuam nobis conferenda  
sint, memoria sempiterna, nec cum vita  
tempore vnquam ex animo dimissa. In  
hac igitur mortali facultate natura, ma-  
iestate immensa tua, magno obligationis  
& officij vinculo tibi deuinctus viua, ad  
obediendum tibi paratus, & ad te vnum  
tota mente intentus. In hoc tuus spiritus di-  
uinus mihi succurret, vt sapienti & me-  
tu numinis tui pleno corde, tua diuina de-  
creta, ac facta eterna contemplan, ad te  
venerandum omnes cogitationes meas ac  
facta conuertam. Itaq; coram te abiectus,  
in q; tuo prostratus conspectu,

*Celebrabo.*

Confitebor tibi Domine in  
toto corde meo, in concilio  
iustorum & cōgregatione.

*Rectorum.*

**H**oc enim debitum maiestati tue, in  
dignitati mee conueniens institutū  
erit, si opus manuum tuarum in humili-  
tate mea celsitudini aduolutus tua, ad-  
uer-

uersum me testimonium dicam, & ad ob-  
 olendam mei peccati & culpa poenam,  
 eius grauitatem agnoscam. Quae non  
 enim delicti mei labes, & conscientia vul-  
 nera sunt? quorum sanatio in eo erit, si  
 iniustitiam confessus meam, tuam aeternā  
 misericordiam plena veraq; fide celebra-  
 bo. Ad hoc amor omnipotens tuus me ad-  
 ducet, & ab humanis ad diuina euehet, v-  
 nitum tibi corde & mente, interq; eos ver-  
 santem, qui iustitiam amplexi tuam, con-  
 gregatione aeterna tua & concilio conti-  
 nentur. In eo presidium anima mea, &  
 stabilimentum in hac arumnarum valle  
 erit, obuersate semper animo dulci ac gra-  
 ta cogitatione beatitudinis & bonorum,  
 quae iustis ab te, ab ipsa aeternitate desti-  
 nata sunt. Hanc amoris vim mox cum suo  
 exortu senserūt beati ac caelestes spiritus,  
 cum te laudarēt astra matutina, et iubila-  
 rent omnes filij Dei. Ast ego in terra, corpo Iob. 38.  
 req; mortali ad illam aeternam me attollā  
 spem, & in omni voluntate tua stans,  
 deside-

desiderium cordis mei, & omnem rationem vitæ ad tuam referam gloriam, id agens, vt mea cogitata ac facta ad tuam

*Ad Phil. 2.* laudem pertinere possint. Atque vt felicitium in cælo animarum innumerabilis tibi astat exercitus, nomen celebrantium tuum, ita ego non in medio pravi peruersique generis hominum, sed in concilio iustorum & congregatione, tuam gloriosam consitebor laudem, eoq; omni voluntate mea, & animi sensu ferar, vt reconcilier tibi, & illud abs te generi electorum tuorum sublatum misericordie tue signum sequar. Tu ante conditum orbem, electum ex omnibus gentibus cœtum congregasti & adoptasti tibi per vnigeniti tui mortem ac sanguinem, cui cœtui pro tua diuine beneficentia opulentiam destinasti, & assignasti tuam, vt hereditas esset tua, eius ad-

*Ad Ephe. 1.* eunda fide facta sancto tuo spiritu ijs, qui in illa congregatione sanctorum essent. Hanc etsi in mortali corpore, humana infestant labores, tamen eas sanguis delet & purgat

purgat tuus, vt in terris inter certamina vita ac malorum, sancta, & iustitia sit plena, & demum in caelo perfectio-  
ne diuina triumphet. In hoc ego fiden-  
tum tibi concilio, & hac congregatione  
qua Ecclesia est sancta Catholica tua, in  
qua est regnum tuum, dominatusque a-  
ternus, in qua ceu magni regis ciuitate,  
pralucente tua gratia splendore, omnis in  
te confertur laus & honos, tua maiestatis  
glorioso nomini deferam omnia, exultans  
& spe plenus, quam factorum tuorum ac  
decretorum fides ita firmabit, nihil vt ea  
euertere possit. Tanta enim inter omnia  
approbatio immensitatis est tua, vt etiam  
necessitatem ad eam agnoscendam & con-  
fitendam adferat.

Magna opera Domini ex-  
quisita in omnes volunta-  
tes eius.

Perum certè tuorum Deus ea mag-  
nitude est, vt eam nulla angustia co-  
gitati-

gitationum humanarum capere possint, aucta in immensum eorum admirabilitate, qua coelum et terra & in vniuerso omnia sunt plena, vt quacunque in hoc mundi ambitu mens ac cogitatio se vertat humana, exerat se externa illa vis, & in omnes res se proferens potentia ostendat. Quid enim omnium rerum creatio, qua infernè aut supernè sunt, quantam sapientia testificationem habent? quid procuratio earundem, & conseruatio diuturna ac perennis? ad tuam sanctam & optimam resque omnes nutu continentem suo, voluntatem intēta, vt omnia magno illo tuo arbitrio, quandiu voles ipse ordinem seruent suum ac perstent, atq; etiam deficient concidantq; prorsus te iubente Domine. Itaque elucentem in tantis operibus magnitudinem tuam, qui illa fecisti, agnoscere omnes homines debent, ac mente ad spem certam immortalitatis erigere, vt voluntati omnipotenti tuae praesto sint, seq; ad eam conforment. Sed o sensus cogitatusque

tusque vanos nostros, qui tantorum operum  
obliti, cordis affectiones ad res ignobiles  
vertimus, ac nos veris fraudamus bonis.

Verum excitanda mens est, ut inhaerente  
memoria diuinorum factorum aeterna, om-  
nis ad DEVM referatur vita, nec ad vl-  
la inimica aut contraria voluntati ipsius  
deslectat. Hoc eius manifesta ac nostris re-  
bus semper praesenti benignitati est tribu-  
endum, quoniam

Confessio & magnificentia  
opus eius, & iustitia eius ma-  
net in seculum seculi.

Inter strepitus ac tumultus mundi mag-  
na et gloriosa ostentatio est rerum, quae  
homines nullo recto iudicio sequuntur, at  
quid in illis simile diuinarum? aut quae fal-  
sarum cum veris coniunctio esse potest? quam  
iniusta enim hominum studia? quam prae-  
aetiones sunt? At quod in Deo est, quam  
infinita maiestate et gloria, redundans est  
ac plenum? pro creatio omnium rerum magnifica,  
conservatione earundem perpetua et illustri.

Quae

Qua nationes hominum, qua ora terrarum sunt, ad quas huius excellentiae, iustitiæq; diuinae noticia non peruenerit?

*Memoria  
cōsecrauit  
sua mira-  
cula.*

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator dominus escam dedit timentibus se.

*Iux. Heb.  
cūmdaret.*

Memor erit in seculum testamenti sui, virtutem operū suorū annunciauit populo suo. Ut det illis hæreditatem gentium, opera manuum eius veritas & iudicium.

**N**on enim in vlla obscuritate res diuina vnquam latuerunt, aperta et manifesta fides eorum est, qua facta olim tot seculis sunt, omni momento, cūctis oris accidunt, & omni consequente auo sient. Consignata antiquitus illorum memoria & ex infinitis pars inter sacra monimenta relata est, in primis eorum, qua adoptata

tate à Deo genti Hebræa euenerūt, unde  
Dei magnitudo, eiusque voluntas certò  
percipi potest. At quàm stupendus & ad-  
mirāndus ordo? quàm incredibilis cōuersio  
eorum? quæ populo illi in vniuersum non  
bono, sed tamen propter progenitorum re-  
ligionem diuinitus electo, ac Dei promissis  
pleno euenerunt? Cùm enim omnes na-  
tiones hominum à dei cultu alienæ essent,  
ea in maioribus eorum religio fuit, vt Dei  
mererentur gratiā, ingentibus confirma-  
tam promissis, ac fide facta, orituram ab  
ijs qua omnes terras impleret salutem, &  
eorum posteros in perpetuum sequeretur,  
si diuinas leges sanctè seruarent. Ergò au-  
cti in immensum, & cùm in terra affli-  
ctionis suæ premerentur indignè, magnis  
ac prodigiosis cladibus, diuinitus affectis  
inimicis, & rege cum ijs hoste vndis obru-  
to, viam ad eas oras tenuerant, quæ diui-  
nitus promissa ipsis erant. Ibi inter va-  
stas solitudines, & cibi atq; aquæ, & om-  
nis humani cultus expertia loca Deus mi-  
sericors

M

sericors

sericors eos ceu in suis gessit oculis, eius m<sup>o</sup>  
 dato, terra, aquis, nubibus, caelo, & omni  
 natura inseruiente ad pascendos eos & cō-  
 seruandos, leges etiam sacrorum ac vita  
 celo datae vt omnis bonorum possessio inte-  
 gra ipsis esset. Verūm omnia prauē, &  
 contra Deum facta, vt nulla eos benigni-  
 tatis diuina retinere in officio posset. Se-  
 cuta sunt omnia plena grauissimarum of-  
 fensionum, vt summa a Deo iuste suscipie-  
 retur poena, nisi tum eos, & maiorum vir-  
 tus, & Dei fides esset tutata. Sed ad extre-  
 mum Deus eorum pertasus, qui obfirma-  
 tis & contumacibus animis peccauerant,  
 eos morte mulctauit, vt eorum cadauera  
 in solitudine corruerent, & prosterneren-  
 tur, iuratus eos in suam requiem non in-  
 gressuros. Non ergo illi viderunt faelicem  
 illam terram, quae assignata ipsis erat,  
 hanc liberi eorum intrarunt, deletis in-  
 colis, ne vlla ex parte eis veritas Dei deef-  
 set. O summam Dei benignitatem & fidei  
 genti illi tributam, sed semper explosam

Num. 14.

1. Cor. 10.

Psal. 4.

& contemptam, vnde illi tandem summa  
inuoluti sunt & conciderunt ruina. Hoc  
enim signum Deus constituit, & finem iu-  
dicii sui, eius vt veritas in aperto sit, nec  
aboleri omnibus seculis possit.

Fidelia omnia mandata eius  
confirmata in seculum secu- *Fixa ad p-*  
li facta in veritate & æ- *petuitatē*  
quitate.

**N**ihil enim Dei iustis confirmatius est  
ac verius, apparen- te in omni ordine  
naturæ celestium rerum æquitate ac fi-  
de. Ac dignum sanè fuit, vt ingratiss &  
impijs scelerum & impietatis suæ redde-  
retur merces. Abdicati ergò ad vltimum  
sunt, cum non agnouissent nec recepissent  
eum, qui ad ipsos saluandos missus erat  
Dei filium IESVM CHRISTVM. Ac  
cum naturales essent rami excisi, suffe-  
ctis & insitis alijs ad quos fructus redi- *Ad Rm, 9.*  
ret eius hereditaris, qua exciderant Israe-  
lita, marina arena numerosiores, saluis  
M 2 eorū

*Ad Rom. 11. eorum reliquijs tantum. Illorum igitur contumacia & crimine, omnibus gentibus misericordia tributa est, benedictione ab illis diuina in vniuersas terra familias propagata, vt omnium miseretur Deus, eosque ad caelestem beatae vitae adduceret portum.*

Redemptionem misit Dominus populo, suo mandauit in aeternum testamentum suum.

**L**iberauerat ille gentem suam etiam valida manu ex Aegypto, & in diuinitus designatae regionis possessionem induxerat. Sed summum in eo beneficium fuit Dei, a morte eiusque autore liberatis ad possidendum caelum aditum esse factum, vnigeniti filij Dei morte, sua vita donata. Hoc in omnes generationes perdurans foedus est tuum Deus, vt in eo misericordiam habeant, qui tuum inuo-

cant

cant nomen, ac se in tuam dant potestatem, ut tuus sint populus, qui te reueretur. & aeternae redemptionis tuae fruatur testamento. Hac o sors mea sit, ut summum veritatis tuae Deus intuens lumen, magni boni particeps munere efficiar tuo. Hac sors me supremo die, ad tuum adductum tribunal seruet, aeterno foedere ad tuam gloriam, tuumque regnum adscitum, ut redemptionis tuae, felicitate mea perpetuum feram fructum. Ergo ego dum in hac terrena vita sum, me ad Dei prosterne pedes, & illud magnum Dei iudicium atque illam ineluctabilem iustitiam, qua omnia iudicanda erunt, animo ante prospiciens meo peccato misericordiam postulabo. Hac a Deo aderit mihi, foedere ac testamento propitiationis sempiterno, iniquitate ablata mea, ut a peccati mei vinculo solutus, & ab Dei ira liber, eiusque gratia in perpetuum restitutus viuam, ac pio ministerio me ei addicam, cum timore & tremore meam operans salutem.

M 3 Quia

Quia sanctum & terribile no-  
men eius.

**V**tinam hæc cogitatio omnium im-  
pleat & permoueat animos, ne ad  
vanitatem accedant, sed maiestatem au-  
gustissimam ac terribilem vniuersis pote-  
statem, iusto Dei metu pleni agnoscant.  
Non tamen bonis aut asper eius domina-  
tus, aut trux potentia est, sed sanctum no-  
men, quoniam sancta ipsis diuina sunt  
leges, sancta & salutaria præcepta, quæ  
fructum adferunt diuina gloria plenum.  
At qui in vias impias discedunt, ijs plena  
curarum mens, & terribile Dei nomen,  
& horrendum iudicium est, vt in festis de-  
lictorum imaginibus obsidentibus ani-  
mum, graues eorum cogitationes et a-  
spera in asiduo terrore horroreque versen-  
tur. Vertat se ad omnia animus humanus,  
seque ijs quæ in terra sunt præsidys muni-  
at, nihil est tamen, quod illam animaduer-  
sionem effugere, aut illum auferre queat  
terrorē

terrorem, quem Dei iudicium inducit, iustitia inevitabili sua contra eius inimicos aeterna damnationis ac ruina designante & irrogante poenas: Iustitia certè Dei quae nunquam rebus humanis abest, constitutum est tribunal, & praesens aduersum malos vindicta, quum iustitia vertetur in iudicium. Et luent poenas delictorum suorum omnes peccatores terrae. Quid ergò infœlici mihi offenso te Deus fiet? quod profugium anima mea erit? quomodo ineluctabilem iustitiam effugiam tuam? O male me paratum, si solio iustitiae tua sistar, cum nulla occultandi peccati spes sit, nec tantum seueritas me tua, sed ipsa mens & conscientia condemnet. Ergò omni alia adempta facultate, in tuum me tremens conspectum dabo, vt inueniã propitiationem, ac sanctum mihi verendumq; nomen erit, vt subleuer tua misericordia, quae super omnem carnem est ne corruam in sempiternum. Ante iudicium explorabo meipsum, vt tempore inquisitionis

Eccles. 18.

M 4

sitionis consequar veniam. Ac ne multiplicetur iniustitia mea, ab stultitia omni, qua sensibus inheret, ac longè à lege tua est, segregabo me, & semper memor ira  
 Eccles. 19. extremo die futura, dabo locum timori tuo, ò altissime, & in mente ac ratione mea te aeternum & omnipotentem Deum statuam, vt intelligentia vera abundem, nec cum insipientibus delinquam. Huius me diuina sapientia compotem efficiet tui numinis metus, vt sublimitatem reuerear tuam, & sapienti corde considerem. Quoniam

Sapientia  
 caput.

Initium sapientiae timor Domini.

**H**oc enim caput est & perfectio absoluta sapientiae, quam omnes homines docet Deus, qui se ad ipsius similitudinem conformant. Verum ea à mundi sapientia segregata est & aliena. Illa enim in solertia quadam consiliorum, procuratione vita, & amplificandis rebus suis, magna cum inanitate est sita, eamq; huius seculi

culi filij sequuntur. sed hac inscientia summa est, non sapientia, qua hominē cum factus à Deo esset sublimis ac rectus, legi per suum delictū aduersatum diuinā, in errorem abduxit. Fecit ei exaltationis & scientia prorsus diuinā spem hostis vaser, sed eius falsa & aliena à Dei voluntate persuasio, naturam humanam stultitia repleuit, pestifera opinione veri iudicij vim deprauante. Ita scientia cupiditas, Dei repudians legem, insipientiam summam inuexit, magna in voluntatem & mentem inducta labe. Sed illum veræ cognitionis amissum sensum, Deus gratia restituit sua, patefacto ad veram intelligentiam aditu omnibus, qui relicta mundi stultitia, legum eius diuinarum sapientiam sequuntur. Hi enim ad solius Dei metum intenti sunt, eumq; vt benignissimum patrem obediētes filij reuerentur. In quo omnis religio est & sanctitas metis, ne se à iustitia cultu auertat aut aduersum Deū eiusq; mādāta efferat.

M 5 In-

G. Pruden-  
tia bona.

Intellectus bonus omnibus fa-  
cientibus ea laudatio eius ma-  
net in seculum seculi.

**O** aeternum caelestique bonum, quo de-  
us suos donat, in quo omne praesidium  
est vitae, & quod veram scientiam rerum  
inducit. Hæc cognitio est Dei, sapientia  
implens, non superbia in sublime elatos et  
exultantes sua, sed humiles & paruulos,  
& sollicitè ambulantes cum Deo suo. Ade-  
rit his Deus, cum transierint per aquas &  
fluctus, ne ipsi obruantur, cum per ignes in-  
cedent, ne conburantur, nec flamma eos  
incendat, inter leones & noxia omnia ver-  
sari inoffensè possint. Saluator enim eorum  
Deus est, ut in se paratum perfugium sem-  
per habeant, qui in gloriam eos suam cre-  
auit, & ab perpetua damnationis eximet  
pœna, ne ab auditione mala vnquam me-  
tuant, cum ad iudicandum veniet, tunc e-  
nim laus eorum in cœtu omnium gentium  
& angelorum summa & aeterna est futu-

ra. Hunc illi fructum virtutis suae, atque hoc testimonium conseruata à Deo salutis in perpetuum ferent, ad cuius ipsi voluntatem omnes actiones retulerunt vitæ, ei-  
q̄, præsto & audientes dicto fuerunt, glorificati à patre cœlesti & in æternam filiorum Dei sortem asciti. Ad hoc ego diuinũ & immortale bonum, tuæ gratiæ tanto munere Deus, sublatus, in vera intelligentia agnitionis tuæ, ac beneficiorum tuorum cœlestium (redempto à morte me & vniuerso genere hominum) semper verabor. Hac me scientia ab tua visione nõquam distinet, ad cuius similitudinem creatus, & omnibus bonis, in hoc inferiori mundo ornatus sum. Tantum tuum cœlesti auxilium mihi aduersus peccatum & iniquitatem, & graues casus vitæ semper adsit, ne noxijs meis cupiditatibus indulgens, & fluxa atq; inania sequens, ad stultitiã conuertar. Ad te æterna q̄, opera tua animũ semper aduertã, ac tandẽ mihi exoluto mole corporis transitus ad tuũ cœle-

ste regnū paratus esse possit. Ita ego, cuius  
gloriā aeterna quē facta, in hoc terrestri Ec-  
clesia tua cœtu & congregatione sancto-  
rum sum confessus, iam augustior in illo  
aeterno concilio, & congregatione sancto-  
rū perenni, tibi seruatori meo redditus vi-  
uam, redemptus à terra, & ab omni inte-  
ritu liber, felicitate abs te electis ab ipso  
mundi exortu destinata.

*Meditationis in Psalmum  
CX. finis.*

ARGVMENTVM  
psalmi 114. & 115.

Deo ac domino nostro grati animi  
sacrificium semper faciendum, ei que  
persoluenda vota sunt, cuius beneficio  
redempti videbimus, & obtinebimus æ-  
terna bona in terra viuentium.

*Meditatio*